



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 13. Episcopatus Tornacensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII. paret, quemquam Constantini donatio-
 A.C. 1145. nem illa ætate ut dubiam ad examen
 vocasse.

ep. 244.

S. Abbas Conrado Regi quoque scripsit, demonstrans oportere, ut maxima concordia inter Regnum & Sacerdotium vigeret, & exhortans; Ecclesiam defenderet, Romanorum vero insolentiam & temeritatem reprimeret.

§. XIII.

Episcopatus Tornacensis.

*Narrat.
 Tornac.
 Spicil. to. 12.
 p. 483.*

Dum Eugenius Papa, trans Tiberim in tuto collocatus versatur, tandem causam de restituendo Episcopatu Tornacensi, tanto temporis spatio agitatum, definiit. Nam Canonici illius Ecclesiæ omnium ore edocti, quam alieno a pecuniæ cupiditate animo esset hic Pontifex, nuncios miserunt, qui eum negotii sui scientia necessaria instruerent, ipsiusque sententiam peterent. Ille respondit, facturum se, quæcunque Abbas Clavallensis suavisset. Itaque Canonici acceptas a S. Bernardo Epistolas per suos Legatos, quorum princeps Letbertus erat, Romam miserunt. Is omnibus causæ illius adjunctis Pontifici expositis supplex postulavit, ut sententiam pronuntiaret, cumque ille literas Letberto tradere pararet, quibus Tornacenses Episco-

piscopum sibi eligere jubebantur, is re-^{Sæcul. XII.}
 spondit; nunquam se hujusmodi literas ^{A.C. 1146.}
 deferendas suscepturum esse. Si vero
 Papæ placeret, sibi de manu sua Episco-
 pum consecratum dare, se cum eo Tor-
 nacum reversurum esse, nec ullam esse
 dubitandi causam, quin ordinatus a Sum-
 mo Pontifice Episcopus honore congruo
 reciperetur ab omnibus. Tandem Pa-
 pa, instantissimis precibus & constantia
 Letberti victus, interrogat, quem in Cu-
 ria Romana Episcopum sibi expeteret,
 atque Letberto id Pontificis arbitrio
 committente, convocatis Cardinalibus
 hac de re eorum sententiam exquirat.
 Tunc autem Romæ versabatur Anselmus
 Abbas S. Vincentii Lauduni, antea mo-
 nachus S. Medardi Sueffione, qui ad
 negotia suæ Ecclesiæ expedienda vene-
 rat, in Papali Curia notissimus. Hunc
 ergo Eugenius Episcopum Tornacensis
 Ecclesiæ nominat, quem illico Letber-
 tus ceterique Legati eligunt, statimque
 Papæ consecrandum offerunt. Relucta-^{V. Herman}
 batur Anselmus, dicens; affligi se non ^{de mirac. lib.}
 levi corporis infirmitate, & potius sibi ^{III. c. 20. &}
 de propinqua morte quam de Episcopa-^{21. post Guib.}
 tu suscipiendo esse cogitandum. At
 Papa, in proposito immotus, ad se se sub-
 mittendum & obediendum compulsus
 solemni ritu Dominica quarta Quadra-
 gesimæ, quæ hoc anno millesimo cente-
 simo

Sæcul. XII. A.C. 1146. limo quadragesimo sexto in diem decimam Martii incidebat, ordinavit. Tum varias ad rem confirmandam dedit Epistolas, primam ad Clericos populumque Tornacensem, in qua cunctos hunc Episcopum suum venerari jubet, eosque a fidei juramento, si quo se Episcopo Noviomensi obstrinxissent, absolvit. Altera Epistola, ad Regem Franciæ data, hortatur, ut consecratum Episcopum Tornacensem recipiat & tueatur.

Eng. ep. 63.
64. Et tom. 5.
Spicil.
p. 565.

His duabus Epistolis dies decima quinta Martii apposita est. Scripsit quoque Papa in eadem causa Theodorico, Flandriæ Comiti, Simoni Episcopo Noviomensi, Samsoni Archiepiscopo Remensi, ceterisque illius provinciæ Episcopis. Nec operam perdidit; nam Anselmus, nemine se opponente, in Sedem Tornacensem receptus est. Hunc exitum habuit gravis causa, ante annos quinquaginta, Urbano II. Pontificatum gerente, moveri cœpta, atque exinde Ecclesia Tornacensis a Noviomensi separata remansit, quæ a S. Medardi ævo per annos deinde sexcentos ei juncta fuerat.

Sup. lib.
LXIV. n. 48
Sup. lib.
XXXII.
n. 43.

§. XIV.

Sacri Milites Franciæ.

to. 10. Conc.
p. 1100. **R**ex Ludovicus junior accepto a Papali, quale exoptabat, de profectio-
ne